ſuam comedere et bibere ſtatim cum ſaturatus ad plenum iam foret
eructuabat quod deuorauerat in aerem quendam et ſic in fumum
dicebat conſumens omnia aſſumpta uelut ignis ardore. Quod cum
ſenex ille intellexiſſet .vii. diebus ieiunauit atque intente
orans, demoniacum illum per dei graciam ſanatum ſue parenti re-
ſtituebat. Quod ad ſanctum orantem uenerunt demones in ſpecie angelorum.

Occurrerunt aliquando ad ſanctum orantem demones in ſpecie celeſtis mili-
cie et habitu angelorum currus igneos agentes, et plurimo
apparatu tanquam magnum aliquem regem deducentes, iſque qui a ceteris
ut rex haberi uidebatur dicebat ad eum. Impleſti omnia opera
hec ſuper eſt ut adores me et tranſferam te ſicut helyam prophetam.
Sed ille hec audiens dicebat in corde ſuo. Quid eſt hoc. Cot-
tidie ſaluatorem meum qui eſt meus rex. hic ſi eſſet ille quomodo
a me poſceret quem indeſinenter me facere ſcit. Et poſt hec reſpondit
illi. Ego habeo regem quem cottidie ſine intermiſſione adoro, tu
non es meus rex. et continuo illa omnis diſparuit phantaſia.

Quomodo quidam per oracionem a luxuria liberatus eſt.

Qvidam ſolitarius habuit quendam miniſtrantem ſibi neceſſaria qui
manebat in ciuitate. Cum autem ille tardaſſet per dies aliquos et
ſeni neceſſaria defeciſſent, dixit diſcipulo ſuo. vis ire in vicum. at
ille quod vis pater faciam. Timebat autem ire ad vicum, tamen ne
inobediens uideretur promiſit ſe iturum. Dixitque ſenex vade
confide in deum quod protegat te ab omni temptacione. Cumque veniſ-
ſet ad vicum et pulſaſſet ad oſtium illius contigit ut nemo eſſet
in domo preter filiam ſuam. Et cum aperuiſſet oſtium et frater eam pro
patre requireret et cur tot diebus tardaſſet, illa eum hortabatur
ingredi domum. Cum autem non acquieſceret illa preualuit et traxit eum
ad ſe. Cumque vidiſſet frater quod ad peccatum trahebatur et vrgerent
eum cogitaciones ingemuit et clamauit dicens. Domine deus
meus propter oracionem eius qui miſit me ſalua me ex hac hora et

e-codices

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. 16 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/de/csg/0596/16)